



Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos & Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

14. Intemperantiâ pereuntes.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45653

voluptariamque vitam largiatur. Quid ergo Deum, tanquam immitem, accusamus, si ab eo id habemus, quod ipsi, si recte calculum ducimus, censemus praoptandum? Videmus, nihil deesse timentibus Deum; auaris autem nihil sufficere, & ditissimos conqueri de paupertate: ut vel hinc sapere possimus. Optimum est enim, aliena insania frui. Feliciter sapit, qui alieno periculo sapit.

XIV.

Plin. lib. 8
Nat. hist. c. 5
Politian. in
Nutric. Her
mip. apud
Drog.

Eccl. 37.34.

Neque animae periculum est tantum, sed & vitae praesentis; quae crapulâ acciditur, & occiditur. Quid interest, laqueo, an cibo suffoceris, fluvio, an dolio submergaris? Acino vuax passæ strangulatus est Anacreon Teius, teste Politiano. Immodico vini haustu, anno suæ ætatis LXXV. iugulatus est Archesilaus Prytanæus, ut memorat Diogenes. Aiunt & Andobuntum Anglorum regem in cœna quandoque tantum vini sumfuisse, ut eo obrutus repente excesserit è vita. Mille sunt exempla. Sed Medicorum sententia est, plus nocere nimiam cibi, quam potus saturitatem. Itaque & hinc multi in morbos, immo & in subitas mortes labuntur. Domitium Aphrum Eusebius scribit, cibi superfluitate redundantem, in cœna, perijisse. De Septimo Seuero Imperatore refert Aurelius Sextus, eum, dum membrorum omnium, maximè pedum dolorem pati nequiret, loco veneni, cibum plurimæ carnis incoctæ audiùs deuorauisse, quem dum concoquere non posset, cruditatem passus expirauit. Ac de Valentiniano Imperatore idem author recenset, eum intemperantia cibi ac saturitate, cum Quadorum legationi responderet, voce impetu sanguinis amissa, sensu integrum expirauisse. Quod & de Iouiano Imperatore testatur Baptista Egnatius. Certè Gregorius Turenensis author est, Childericum Saxonem, cum aliquando ad ambas usque aures cibo se ingurgitasset, eo suffocatum, in lecto, mortuum, repertum. Nimirum in compendio dici potest: *Propter crapulam multi obierunt; qui autem abstinentes est, adjiciet vitam.* Consultius ergo est & vino, & cibo nimio carere; quam abuti, si abundes. Nec tamen seruis suis nihil dat, qui nimium non dat Deus; sicut neque improbos semper sinit abundare.

CAP. XVII.